

**Dissertatio inauguralis medica de curatione morborum per vapores ... /
publice defendet auctor Fridericus Ludovicus Heroldt.**

Contributors

Heroldt, Friedrich Ludwig, 1756-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

lenae : Litter. Fickelscherr. haer. et Stranckmannianis, [1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/be75zgkh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
CURATIONE MORBORVM
PER VAPORES

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
D O M I N O
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGA-
RIAE ET GVESTPHALIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

ERNESTO ANTONIO NICOLAI

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS, SERENISSIMI DVCIS SAXO-VINARIENSIS
AC ISENACENSIS, SERENISSIMI PRINCIPIS SONDRERSHVSA-SCHWARZBVRGICI,
SERENISSIMORVM PRINCIPVM DE SOLMS-BRAVNVELS CONSILIARIO AVLICO
HORVMQVE ARCHIATRO, COMITE PALATINO CAESAREO, PROFESSORE MEDICI-
NAE PRIMARIO, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO, ACADE-
MIAE ELECTORALIS MOGVNTINAE SCIENTIARVM VTIIVM ET SOCIETATIS
REGIAE BORVSSICAE FRANCOFVRTENSIS VIADRINAE ASSESSORE, ACADEMIAE
CAESAREAE NATVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS ACADEMICAЕ PRINCIPA-
LIS HASSIACAE SODALI, SOCIETATVM LATINAE DVICALIS IENENSIS ET MARCHI-
CO-BADENSIS, TEVTONICAE IENENSIS SVBLIMIORVM SCIENTIARVM
SODALI HONORARIO

PRO GRADV DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRVURGIAE

SVMMISQVE IN VTRAQVE MEDICINA HONORIBVS

IVRIBVS AC PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE VIII. DECEMBR. MDCCCLXXXIII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS LVDOVICVS HEROLDT
VINARIENSIS.

IENAE

LITTER. FICKELSCHERR. HAER. ET STRANCKMANNIANIS.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

VARATIONE MORBORUM
PER VAPORES

RECTORE ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO DUCI AUSTRIACO
D O M I N O

CAROLO AVGVSTO

DUCE SAKONIAE, IVLIAE, CIVITAE, MONTIVM, NASB-
RIAE ET QVESTIARIAE HER-
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E

ERNESTO ANTONIO NICOLAI

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
POTENTISSIMO BORVORVM REGIS, SIKENSIS DUCIS, SAKONIAE
AC BRACENSIS, SERENISSIMI PRINCIPIS SOKRATIS, SOKRATIS
SERENISSIMORVM PRINCIPVM DE SOLIS BRAYTES, SOKRATIS
FORVIVAE REGIAE, COMITIS PALATINO, SOKRATIS
HAE TRIMARIO, T. P. H. A. T. I. S. M. E. D. I. C. A. E. T. P. H. I. L. O. S. O. P. H. I. A. E.
MAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE
REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE
GABRIELAE NATVAE CIVITATE, SOKRATIS
LS HASIACA REGIA, SOCIETATIS SOKRATIS
CO. BADENSI, REGIAE REGIAE REGIAE REGIAE
SODALI REGIAE

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE
SVMISSO IN VTRAQUE MEDICINA HONORIBVS
VIRIBVS AC PRIVILEGIIS
RITH OTTINENDIS

DIE VII DECEMB. MDCCCLIII

TABULAE REPERTORI

AVCTOR

FREDERICVS LEONOVICVS HELDOLT

WILHAEISIAE

HELDOLT

LEONOVICVS HELDOLT

DVCATVS SAXO-VINARIENSIS
STATIBVS PROVINCIALIBVS
GRAVISSIMIS

REVERENDISSIMO
PRAELATO

PERILLVSTRIBVS ILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS
PRAENOBILISSIMISQVE
PRAEDIORVM EQVESTRIVM
POSSESSORIBVS

HABD VVLGARI
HONORE AC PRVDENTIA CONSPICVIS
CIVITATVM CONSVLIBVS
ET

SENATORIBVS
DOMINIS

PRO CVIVSVIS DIGNITATE
EA QVA PAR EST
REVERENTIA ATQVE HONORE
NVNQVAM NON PROSEQVENDIS.

DUCATUS SAXO-VINARIENSIS

STATIBUS PROVINCIALIBUS

GRAVIS

REVERENDISSIMO

P R A E L A T O

PERILLIUS IUSTITIAE DEFENSOR

PRAEBOIENSIS

PRAEBOIENSIS

POSSESSORIBUS

HAUD VAGANTI

HONORE AC PRUDENTIA CONSPICUIS

CIVITATUM CONSULIBUS

SENATORIBUS

D O M I N I S

PRO CIVIVIS DIGNITATE

IN DVA PAR EST

REVERENTIA ATQUE HONORE


AVGUSTAE NON PROSPERANT

Singrato homine nil terra peius alit. Hinc non
possum, quin VOBIS pro tot tantisque beneficiis,
quibus conatus meos in discenda medicina veterinaria
adiuvistis, quibus etiam rei familiari in conse-
quendo hoc ipso Doctoratu subvenistis, gratias publicas
agam, quas possum, maximas, eas semper habiturus et
pro virium tenuitate quavis data occasione lubentissime
relaturus. Non ignoro, benevolentiae Vestrae, ni
SERENISSIMI, quem veneramur, clementia acces-
sisset, me ne compotem quidem fieri potuisse, attamen me

quoque non fugit, VOS EIDEM huius gratiae mihi
conciliandae autores fuisse meque IPSI de meliori com-
mendasse. Quae cum ita sint, in signum grati animi
VOBIS specimen hoc qualecunque do, dico, dedicoque,
etiam atque etiam humiliter et sollicite petens, ut illud
benevole accipiatis, Deoque T. O. M. ex animo suppli-
cans, ut VOS omnigena prosperitate frui et omnia, qui-
bus patriae commodo studetis, consilia Vestra felicia
faustaue esse iubeat.

NOMINVM VESTRORVM

cultor devotissimus observantissimusque
FRIDERICVS LVDOVICVS HEROLDT.



§. I.



Ad remedia, quibus medici vtuntur ad morbos, quibus homines obnoxii sunt, curandos vapores pertinere, nemini artis medicae vel mediocriter perito incognitum esse potest, et, cum mecum communicaverit illustris Praefes casus, quibus vaporum insignem in affectionibus corporis humani morbofis tollendis expertus est vtilitatem, spero, fore neminem, si data hac opportuna occasione, qua mihi specimen eruditionis exhibendum est, in hoc argumento elaborando, quid ingenium possit, experiar.



§. II.

Sunt vero vapores vel humidi vel ficci, qui suffitus, suffimenta vocantur. Non omnium corporum vapores ceu praesidia sanitatis conservandae vel restituendae adhiberi posse, exinde liquet, quod non omnia corpora spargunt vapores salubres, sed permulta sanitati noxios. Aquam ope caloris in vapores resolutam et sic partibus corporis humani applicatam, quod dicitur balneum vaporis seu Laconicum, in interstitia et poros partium corporis humani solidarum externarum penetrare, eas emollire et relaxare, tensionem earum imminuere, materias in iis stagnantes motui aptas reddere, et stases, et, quae ab his pendent, mala tollere, eaque omnia longe facilius celerius et fortius majorique gradu efficere, quam aquam eodem gradu calidam sub forma cataplasomatis fomenti et balnei non vaporosi calidi adhibitam, partim ex principiis physicis, partim ex experientia, quae aquae calidae utroque modo dicto applicatae effectus docuit, satis apparere arbitror. Praeterea eiusmodi halituum calidorum aequae ac balneorum calidorum vis est insignis poros et vasa cutis aperiendi et ampliandi, calorem et motum sanguinis augendi et sudorem producendi.

§. III.

§. III.

Vir eruditionis praestantia et artis exercitio celebris D. D. MARCARD in egregiorum tentaminum medicorum parte secunda p. 64--68 optime modos eorumque optimum aquam calidam in vapores mutatam seu balneum Laconicum corpori humano applicandi, et, quae hac de re scitu sunt necessaria, optime exposuit machinamque huic rei maxime idoneam descripsit, quem legere benevolum lectorem non poenitebit. Sumitur ad eiusmodi balneum aqua vulgaris, et, quae melior habetur, pluvialis ad ebullitionem calefacta aut simplex aut cum vegetabilibus, quae scopo idonea habentur, decocta. Sunt, qui existiment, balneum Laconicum ex aqua cum vegetabilibus cocta paratum plus valere, ob partes, quas ab illis accepit, quam ex aqua simplici factum; ast notandum est, non omnium remediorum partes et vires vna cum vapore aquae posse ascendere et vegetabilia odore et partibus non evaporantibus carentia aquae cum iis decoctae novas aliasque vires, quam quas aqua simplex cocta habet, largiri non posse. Nihilominus saepe medici vegetabilia et ex his emollientia praescribunt et bono quidem consilio, ne aegro et amicis remedii simplicitas contemptum pariat, quamvis non ignorent, aquae in va-



pores solutae virtutem solum agere. Quodsi vero vegetabilia ad balneum Laconicum cum aqua decoquere cui placuerit et cum hac illorum vires communicare, odore et partibus, quae in vapores mutari possunt, praedita sunt eligenda.

§. IV.

Applicatur balneum vaporis vel toti corpori vel singulis eius partibus modo a laudato D. D. MARCARD descripto hisque primo per horae quadrantem, deinde per longius tempus, horas duas, et longius, multumque balnei effectum iuvabit partis affectae, cui applicatur, ascendente vapore lenis frictio saepius peragenda, neque minus commodum affert, cum ante vel post balneum remedium conveniens externum parti affectae infricatur aut eius frictio panno laneo fumo salubri referto instituitur. Ante omnia post eius usum partes probe deficcandae et tegendae. Proderit etiam ante venam secare et primas purgare vias, si ita visum fuerit, quam hoc balnei genus adhibeatur.

§. V.

Quum balnea vaporis ex aqua calida parata eodem agant modo, quo cataplasmata et fomenta calida, vi emolliente et relaxante in omnibus istis corporis humani affectibus, in quibus cataplasmata

et


~~_____~~

8


et fomenta abdomini imposita ratione et experientia teste conducunt, maiorem aut saltem eundem salutarem effectum praestare balnea vaporis, facile est intellectu. Quid? quod omnia ista, quae clysteres emollientes demulcentes et relaxantes praestant, utpote qui dolores et molestissimas ac perniciosas spasticas strictureas in abdominis visceribus saevientes sedare, excrementa et intestina siccata humectare et lubricare, dura emollire, fordium egressum promoveri solent, et tum emolliendo et relaxando vias, ut stagnantes materias transmittant, atque impetum humorum a tergo urgentium in eas augendo, tum has mobiles reddendo infarctus vasorum viscerum et glandularum abdominalium et mala exinde orientia tollunt, majori gradu expectari possunt a vaporibus aquae calidae ope machinae commodae, quam invenit illustris KAEMPF, in anum immixtis.

§. VI.

Cataplasmata et fomenta ex aqua vel lacte applicata calida inter emollientia et relaxantia et vi dolores et spasmos sedandi praedita remedia principem optinere locum, res satis est cognita, et maiorem, saltem eandem vim competere balneis vaporis ex aqua factis, ratio et experientia docet. Vir egregius D. D. MARCARD eorum utilitatem in im-



manibus articulorum et membrorum doloribus atque affectibus rheumaticis vehementi dolore aegrum cruciantibus insignem expertus et exemplis adductis testatus est. Neque minus vapore lactis et aquae calidae in aures immisso earum dolores insignes sedandi nullum praestantius reperiri remedium, observationibus constat, quas Experientissimus D. D. MARCARD aliique litteris consignatas reliquerunt. In membris contractis, rigidis, succorum bonorum affluentium penuria laborantibus, tabe confectis et exsiccatis, articulorum immobilitate et rigiditate, si qua medela superest, haec certe ab huius remedii repetito et continuato usu expectanda est. Maxime notatu digna visa est historia illa, quam relatam legi apud celeberrimum D. D. MARCARD l. c. de foemina juvene phthisi febre continua et tussi, qua ejiciebat pus, laborante, cuius cutis toto corpore adeo sicca erat, vt membranae pergamenae similis esset, quo transpiratio prohibebatur, cui aegrotae mira praestitit vapor aquae calidae, quo non cutis solum sicca emollita et transpiratio suppressa restituta, sed reliqua etiam mala imminuta sunt et status aegrae in meliorem versus reperiebatur.



§. VII.

Balneum vaporis, quod corpus humanum lecto tectum circumdat, dum corpus senile debile exhaustum cum juvenili vegeto et succis bonis vitalibus abundante sub stragulis decumbit, tanquam ceteris praestantius hic noto, quia illud huius habitibus, quos haurit tot bibulis vasis, reficitur et novum vitalis pabuli comneatum accipit. Pertinet huc id, quod de Hermippo narratur, si verum est, qui annos centum et quindecim puellarum anhelitu vixisse dicitur, de quo legi meretur celeberrimi COHAVSEN Hermippus redivivus. Sunt, qui aliorum animalium viventium fotu pro humano utantur, ut canis ventri inter saeviora tormina incubentis, quod remedii genus post Robertum Boyleum a multis passim commendari videas, crebrior tamen est maetatorum animalium usus, quorum calentibus adhuc visceribus partem sensu motuve destitutam, dolentissima immobilitate aut contractura affectam, admirabili cum successu, aliis frustra tentatis, immittunt.

§. VIII.

In lue venerea balnea vaporis ab aliis magnis extolluntur laudibus, ab aliis damnantur. Id scio
expe-



experientia edoctus, morbos venereos particulares, vt partium genitalium inflammationes et tumores, phymosin, penis distorsionem, testiculorum tumorem, bubones idque genus alia mala a causa venerea oriunda, aduersus quae cataplasmata et fomenta calida ex aqua vel lacte aliaque remedia nihil valuerunt, balneis vaporis feliciter curata fuisse.

§. IX.

Non raro sequitur vsum cataplasmatum et fomentorum emollientium ad tumores applicatorum horum discussio loco suppurationis, quam intendimus et speramus, quia vasa emollita ac relaxata materiam stagnantem transmittunt, resistentia fibrarum vasorum telaeque cellulosae imminuta affluxus humorum a tergo augetur, quo partes stagnantes, quae iam magis dilutae et mobiles redditae sunt, propelluntur et sic fit discussio. Tutius ac certius eam a vapore aquae vel lactis calidi expectare possumus, quam quoque seculam esse observationes ab Experientissimo D. D. Marcard l. c. consignatae probant. Idem vapor aquae vel lactis calidi, quia ad mammas admissus lactis affluxum et effluxum auget, in puerperis, quae infantes lactare volunt nec sufficientem lactis in mammas affluxum habent, ad lac alliciendum adhiberi potest. Quid? quod si neque infantum
suctione

suctione neque instrumentorum sugentium vsu lac ex mammis elici non potuit, id' ope vaporum aquae calidae, quibus mammae expositae fuerunt, factum fuisse, vt lac ex papilla destillaret, experientia docuit, de qua vide Praestantissimum D. D. Marcard l. c.

§. X.

In Russia aequae atque in aliis provinciis variolas grassari, sed in Russia minus perniciosas esse, quam in aliis provinciis, testantur Auctores, *) cuius rei causam frequentiore balneorum sudoris et vaporis in Russia vsu declarant. In Collectionum Berolinensium, quae inscriptae sunt: *Berlinische Sammlungen* Volumine primo pag. 273 relata leguntur varia, quae vsu balnei vaporis in retrocedentibus variolis expellendis egregium probant, exempla.

§. XI.

In inflammatione pulmonum discutienda vapor aquae calidae solius, vel, quod melius, cum aceto vini mixtae, et, quod longe efficacius est, aceti

*) Confer illustris Schloezeri Tractatum, qui inscribitur: *von der Unschädlichkeit der Pocken in Russland und von Russlands Bevölkerung* Göttingen 1780. 8v. et *Ant. Riberii Sanches* Tract. de cura variolarum ope vaporandi apud Russos omni memoria antiquioris vsu recepti.

aceti vini calidi in pulmones attrahendus summopere
re conducit. Halitus enim calidus et humidus
aqueus relaxat maxime vasa pulmonum, vt facilius
transmittant humores stagnantes, hos vero diluit,
fluidos et mobiles reddit et sic inflammationis di-
scussionem promovet. Vapor aceti aquae vaporem
vi resolvente longe superat simulque putredini resi-
stet multosque, qui peripneumonia graviter labora-
runt, e mortis faucibus eripuit, quod observatio-
nibus probari potest. **Immortalis BOERHAVE** *Apho-
rism. de cognoscendis et curandis morbis* §. 850. in pe-
ripneumonia commendat balneum vaporis aquae
dulcis ad pulmones, nares, os, pedes, crura, et
Perillus eius *Commentar. Tom. II*
p. 776. summopere conducit hoc in morbo, inquit, aer
inspiratus tepidus et humidus, quo nihil magis laxat,
vnde mucinia aqua tepente madida naribus suppone-
re oportet totamque atmosphaeram, in qua aeger de-
cumbit, simili habitu replere. Balnea vaporis pa-
riter in peripneumonia inferioribus corporis huma-
ni partibus sunt applicanda, vt et aqua venis bibu-
lis resorpta sanguinem diluat et vasa istarum laxet
et laxata vasa maiorem copiam humorum in se retine-
ant sicque impetum et copiam humorum a pulmone,
quantum fieri poterit, subducant. Laxantur quoque
per

per balneum vaporis vasa pulmonum et laxata facilius transmittunt humores, dumque toti corpori similia applicantur, flaccescunt omnes partes et maiorem copiam humorum retinent, quod hic requiritur. Praeterea sanus et robustus homo continua balnei vaporis applicatione sic debilitari poterit, ut langueat totus, adeoque poterunt hoc in morbo per eadem pro lubitu vires vitae sic minui, ut nullum periculum sit, ne immeabilis sanguis profundius in vasorum pulmonalium angustias adigatur, quod multum ad curationem facit. Vir eximius, **TISSOT** in libro suo, qui inscribitur: *Anleitung für das Landvolk in Absicht auf seine Gesundheit* in peripneumonia vaporem aquae calidae, quacum paululum aceti mixtum est, aut acetum vini inspirando attrahendum maxime commendat huiusque ope multos e summo vitae periculo ereptos esse testatur.

§. XII.

Illustris MVZELIUS in collectione prima observationum medicarum et chirurgicarum p. XI. refert curationem ulceris pulmonum et exinde ortae phthiseos ope vaporum decocti calidi ex radicibus et herbis pectoralibus parati et cum olei aetheri terebinthinae vncia dimidia mixti quater de die



in pulmones attractorum et machinam ad id remedii genus applicandum modumque adhibendi ibidem descripsit. In libro, cui titulus: *Neueste Heilkunde oder Heilungsmittel, die entweder ganz neu erfunden oder zur Cur mancher höchstverzweifelter und fürchterlicher Krankheiten von neuen eingeführt worden sind, aus dem Französischen der Herren Büchoz und Marquet*, exempla plura, quae insignem vtilitatem methodi phthisin ope vaporum decoctorum pectoralium curandi confirmant, existant, simulque mutationes et emendationes machinae ad hoc curationis genus necessariae descriptae sunt. Vapor aquae lactis vel decoctorum emollientium cum aqua vel lacte calidorum naribus attractus in gravedine et ab hac pendentibus symptomatibus, et faucibus exceptus in doloribus tumoribus et inflammationibus faucium et colli quantum praestet vtilitatis, tam notum est, vt de eo multa verba facere non opus sit.

§. XIII.

Venio nunc ad vapores siccos, ad quos potissimum pertinent vapores mercuriales, qui ad luem veneream et sic dicta vitia localia venerea olim adhibebantur. Parabantur eiusmodi suffitus ex cinnabari eaque vel sola vel cum aliis mixta aut ex mercurio vivo saliva aut terrebinthina extincto, quibus admiscebantur alia igni concipiendo et alendo

do apta, vt thus, olibanum, storax calamita, gummi anime, succinum, gummi juniperi idque genus alia, quae singula aut in pulverem redigebantur ad suffiendum adhibendum aut in pulverem redacta cum mucilagine gummi tragacanthae formabantur in trochiscos vel terebinthina excipiebantur in formam opiatae. Cum iis vtendum erat, aegrum plane nudum in cista conopeo seu velo lineo stantem vel sedentem inclusum vel exerto capite constituebant, in suppositum vas prunis plenum certam pulveris mercurialis quantitatem aut trochiscos aliquot mercuriales per vices injiciebant fumoque exhalanti aegrum exponebant et in lectum calidum collocabant stragulis probe tectum, vt sudor eliceretur, quo facto post ei alimenta porrigebantur. Quae suffiendi ratio singulis diebus aut quovis biduo repetita fuit, prout e re visum fuerit. Cum vero ad morbos, aduersus quos adhibebatur, debellandos minus sufficeret, quid? quod varia gravia mala et damna sanitati inferret, nervis capiti et pulmonibus plurimum noceret, in contentum venit et obsolevit nec nostra aetate adeo frequens est, interdum tamen ad resolutionem scirrhi nodi topi ganglii exostoseos et doloris in parte quadum sedentis a causa venerea adhibetur, immo illustris Facultas medica Parisiensis in consilio, quomodo lue

venerea infecti sint tractandi, quod in linguam germanam translatum exstat in ista collectione, quae inscribitur: *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche practischer Aerzte zweyter Band viertes Stück p. 148.* modum cinnabaris decem vel quindecim granis prunis iniectis eiusmodi infantum corpora suffiendi maxime commendat aliisque omnibus praefert. Neque hi soli sunt, qui hanc mercurialibus suffiendi rationem laudant. Sunt et alii, qui eam salutare interdum in curandis morbis venereis praestitisse effectus testentur, vt Clarissimus SAMVEL SCHAARSCHMIDT in relationum medicarum et chirurgicarum T. II. p. 227. seqq. et celeberrimus GARDANE in Tractatu de diversis luem veneream curandi methodis.

§. XIV.

Longe maiori utilitate se commendant suffimigia, quae ex gummi anime, tacamahaca, olibano, succino et id genus aliis parantur, in pulmonum morbis, a refrigeratione et suppressa transpiratione, humorum viscidorum affluxu congestione stagnatione atque accumulatione oriundis, vt pulmonum catarrho, pectoris angustia, tussi et asthma, tam ob materiae ad excretionem minus aptae indolem siccis, quam humidis et pituitosis, ore in pulmones attrahenda.

da. Novit illustris Praefes virum maxime reverendum, sacrorum antistitem, qui noctu in lecto sudans ad aegrum vocatus aeri frigido se exponere coactus incidit in asthma siccum cum pectoris angustia et suffocationis periculo coniunctum, cui contabescientia accedebat. Forte fortuna accidit, ut ei, cum conclave eius gummi anime suffiretur, fumus huius ore in pulmones attractus tussim et expectorationem moveret morbumque levaret, quo incitatus fumum huius gummi maiori copia in pulmones attraxit, qui tussim et copiosam mucii expectorationem excitabat, qua morbus eius penitus fuit profligatus.

§. XV.

Maxime notatu digna mihi visa sunt, quae in scripto, cui titulus: *Mannigfaltigkeiten, eine gemeinnützige Wochenschrift, dritter Jahrgang p. 90.* legi de egregio usu, quem in pectoris affectu hecticam minante, quo continuo laborabat quidam militum praefectus, fumus igne fusae cerae flavae et resinae vulgaris praestitit. Iste aeger vehementem catarrhum et haemoptysin passus incidit in continuo affligentem molestum pectoris morbum, qui artem medicorum et medicamentorum vim omnem elusit, ita, ut horum pertaesus nihil amplius adhibere vellet. Forte fortuna accidit, cum vi-

num

num in vasa vitrea transfundere iisque obturatis partem massae ex cerae flavae et resinae vulgaris libra dimidia constantis igne liquefactae superfundere vellet, vt mali levamen sentiret et facilius expectoraret, quod a fumo huius massae igne fusae inspirato derivabat. Neque hac in re se fefellit. Cum enim occlusis fenestris et janua hunc vaporem maiori copia in pulmones attraheret idque per quatuor et quinque dies repeteret, malo suo penitus liberatus fuit. Quod remedium etiam diu post ab aliis simili successu adhibitum fuisse, ibidem relatum legimus. Et profecto, in ulcere pulmonum et hinc pendente phthisi vapores medicati cum aere inspirato possunt totum cavum aereum pulmonum vndique alluere et sic, pro varia ulceris conditione, diversa poterit applicari medela. *BENEDICTVS Tabidorum Theatro XXVIII exercit.* in phthisi pulmonali, morbo tam gravi et difficili curando multis fustulit laudibus vaporum humidorum et siccorum inspirandorum usum eumque omnibus aliis remediis anteponebat. „Inter praesidia, inquit, adversus tabem evaporatio-
 „nes et suffitus tanquam nobiliora et quibus vnice
 „in extremis angustiis confidamus, pensitanda
 „sunt etc. pulmones enim aridiores et tensiores ho-
 „rum madore intenerantur, humentes nimisque laxa-
 „ti illorum siccitate indurantur, putredine et visco-
 sitate

„sitate obliniti levantur, amborum denique confor-
 „tio vlcera fordescentia detergantur nec non novae
 „affluxurae materiae et in partes assurgentis vis mo-
 „lesque reprimuntur, simili semper in assumtis asser-
 „vato scopo.” Plures ibidem enarrat casus, qui do-
 cent felicissimos huius methodi effectus et describit
 vasa, per quae commode vapor humidus vel siccus
 applicari potest sic, vt tuto ad vasa pulmonum ae-
 rea pervenire valeat: simul varias medicamen-
 torum formulas pro evaporatione humida et sic-
 ca praescribit, quae diversis indicationibus emollien-
 do exsiccando roborando resolvendo abstergendo
 expectorationem promovendo et consolidando vel
 alio modo satisfacere possunt. Miratus sum, BE-
 NEDICTVM auripigmento cum albumine ovi in tro-
 chiscos redacto pro suffimigio vsum fuisse, cum ve-
 nenatae sit indolis nec tam innoxium, vt ab aliis prae-
 dicatur. Etiam sulphuris communis vsum in suffi-
 tibus longe antiquissimum invenio. De vfu medico
 suffiti sulphuris DISCORIDES *Lib. V. cap. 124.* ita: tuf-
 sientibus, inquit, purulenta exscreantibus et suspirio-
 sis prodest, tam in ovo sumtum, tam etiam suffitum
 sulphur: praeterea partus vsti nidore extrahitur, gra-
 vitatem auditus suffiti nidor per fistulam admissus fa-
 nat: lethargicos suffitu excitat. Singularis est vsum,
 quem Angli invenerunt, quemque in BENEDICTI



Theatro Tabidorum me legere memini, vt jubeant tabidis extreme fufpiriofis flores fufphuris admifcere foliis tuffilaginis concifis atque fic ex fiftula tabaco fugendo deftinata fumum in os adducere. Vix aufus fuiſſem, hunc modum inter fuffimenta referre, niſi viderem HEVRNIVM iam pridem mihi praeceuntem, qui fumum tabaci inter optimos fuffitus recenſet, et niſi aer vaporibus fulphureis ſcatens laudaretur a medicis tanquam magnum remedium, ſi phthiſici illum reſpirent diu; in monte Tabio nempe prope Neapolin FROMOND. *Riſpoſta Apologet.* p. 438. Sic GALENVS *Method. medendi Lib. V. cap. 12. Charter. Tom. X. pag. 122. 123.* iam ſuo tempore tabidos ad *Tabias* ablegabat prope Veſuvium, vt ibi lacte uterentur et ſimul perpetuo talem aerem inſpirarent. Idem arte imitari conabatur BENEDICTVS *Theatr. Tabidor* p. m. 145. „dum, cujuſcunque ſint, inquit, generis fuffimigationes et halitus, penitus viceque ipſius aeris in partes „ſpirabiles ſuſcipiantur, in conclavi aut cubiculo, clauſis feneftris, vt vitetur omnis aeris frigidioris afflatus ibique diu perduret aegrotus; ſecus enim in caſum exercentur. Monet ſimul, primam ſuffituum in pulmones ſuſceptionem eſſe laborioſiſſimam, peracta vero deterſione, (quod cito fit) facilius eam peragi.

§. XVI.

THOMAS WILLIS *Oper. omn. Pharmaceut. ration.*

Parte II. p. 60. in phthisi nondum deplorata vapores humidos et suffitus plus, quam alia quaevis remedia, prodesse testatur, et RIVERIUS *Prax. med.* Lib. VII. cap. VII. de phthisi auripigmenti usum ad suffiendum hoc in morbo rejicit et loco hujus suffimigia ex thure, myrrha, mastiche, benzoe suadet, quae semper sint in conclavi, ut ficcus aer et odoratus attrahatur. Vapores ex antimonio liquato affurgentes et ore exceptos catarrhalibus, suspiriosis, asthmaticis optime facere illustris chemicus b. STAHLIUS alicubi commemorat. Celeberrimus MEAD *Praecept. et Monit. pract.* p. m. 29. ulceribus pulmonum et hinc oriundis febribus lentis et hecti-
cis in casibus nonnullis vtilissimum esse monet balsamicis, qualia sunt thus, styrax, succinum, benzoe, humores acres et falsos delenire ac temperare; quae in prunas iniecta vaporare debent, ut fumus eorum per tubum aptum in asperam arteriam et pulmones recipiatur. Scio, pergit, vix in usu esse hanc medicinam et tanquam inutilem a plerisque negligi. Quisquis autem secum reputaverit, quam longo itinere, per canales scilicet sanguinis, res huiusmodi ad pulmonem ferantur et quam exigua illarum pars ad locum destinatum perveniat; is sane facile videbit, si qua

in illis sit virtus, hac potissimum via impertiri posse. Testatur idem vir illustris, fumum ex balsamo Tolutano, more tabaci, per tubum in pulmones inspiratum vsus fuisse eximii, praecipue in sanguinis sputo; sed et videtur inde metuenda tussis. BENEDICTVS *Theatr. Tabidor.* suffitus quidem laudavit, sed non ad haemoptoen sedandam, verum potius ad detergendum pulmonum vlcus: „diserte enim mo-
 „net sequentia: Suffitus non statim ab eroso vascu-
 „lo aut visceris parenchymate submoveantur, sed
 „post dies quatuordecim inprimis a sedata haemo-
 ptyfi. Perillustris VAN SWIETEN, vide eius *Com-
 mentarior. in Aphorism. Boerhavii Tom. IV. p. 98.* imitatus est hanc methodum in curanda phthisi pul-
 monali a vomica: curabat enim, vt per tubum va-
 por aquae calidae perpetuo exiret prope lectum pri-
 mo, dein, vbi hoc facile ferebant, propius admo-
 vit, vt aerem tepidum et humidum diu respirarent.
 Sic obtinuit, vt citius rumperetur vomica. Suffi-
 migia autem ex thure, succino, styrace, benzoe
 sic adhibuit, vt aer cubiculi, in quo aeger versatur,
 his impraegnaretur, sensim augendo quantitatem
 suffimigii: nisi enim hoc prudenter fiat, validissima
 tussis sequitur, quae nocere posset: thuris et styra-
 cis halitum facilius ferunt, succinum vero magis ir-
 ritat, cum per ignem in oleum fatis calidum et sa-
 lem volatilem acidum resolvatur: benzoe vero, li-
 cet

cet suavem odorem habeat, parciore copia suffimigiis miscetur, quia halitum satis acrem spargit, qui, chartaceo operculo si excipiatur, condensatur in moleculas nivei coloris, quae in officinis sub titulo florum benzoës prostant et calidam valde virtutem habent, ita, ut linguae imposita ustionis sensum producant. Benzoës vapore usus fuit hic Vir supra laudes meas positus, ut, emollita prius per vapores vomica pulmonis subita et valida tussi excitata rumperetur.

§. XVII.

Vapores siccos ex gummi anime tacamahaca olibano storace succino idque genus aliis prae humidis in statu pulmonum humido, humorum feroforum et pituitosorum versus pectus affluxu aucto eorumque accumulatione nimia, pulmonum laxitate flacciditate et atonia, horumque morbis, quibuscum haec vitia sunt coniuncta, potissimum conducere et maxime salutare producere effectus, dubio caret omni. Praeterea eiusmodi suffitus irritante et roborante resolvente et discutiente virtute tussim et expectorationem excitare et promovere, materias hinc inde stagnantes accumulatas et adhaerentes pectoris angustiam et oppressionem, respirationisque difficultatem producentes expellere, pulmonum vim contractilem et robur augere, respirationem impeditam liberiore et faciliore reddere, quisque

rei peritus facile videt. Vapores humidos emolliente virtute praeditos in memoratis pectoris et pulmonum affectibus minus prodesse, sed potius valde nocere et praesentia mala peiora et graviora reddere, e contrario in statu pulmonum sicco rigido et spastico, expectorationem et respirationem impediendo, tussi et asthma sicco et convulsivis maxime prodesse, ex eorum effectibus et modo agendi facillimum est perspectu.

§. XVIII.

In Monumentis Academiae Chirurgicae Parisiensis Tomo V. p. 465 exstat a Clarissimo BILLARD Commentatio de suffitu ceu remedio adversus phthisin. Magis fayet hic vir suffitui inspirando, quam evaporationi humidae illumque huic praefert, quia phthisin plerumque a pulmonum debilitate, quam vapores humidi augeant, oriri, existimat. Aerem contra temperate calidum purum balsamicis aromaticis beneque olentibus vaporibus repletum simplex quidem, sed simul praestantissimum remedium curandi phthisin esse saepe eum docuit experientia, imprimis vero vaporem ex cera flava recenti et resina vulgari aequali quantitate sumtis et igne liquatis, quo aegri conclave est replendum, aegro haemoptysin passo et phthisi purisque exscreatione, febre lenta et sudoribus colliquativis laboranti egregiam tulisse

tulisse opem et levamen, postquam circiter quinquaginta dies et singulis diebus ter vel quater hoc suffitu usus est, observavit. Quovis septimo vel octavo die massam recentem ad suffiendum et prima vice loco resinae terebinthinam sumsit, quia haec maiorem, quam illa, fumum exhalat, et cum mixto ex terebinthina et cera parum balsami Canadensis albi vel Peruviani vel alius substantiae resinosae balsamicae additum fuit, hanc massam gratio- rem et efficaciorum vaporem prae ceteris dispergere, animadvertit. Ceram flavam recentem prae ceteris maximam vim et efficaciam possidere existimat, id quod ex eius odore praedominante concludit, quam praeterea ob vim emollientem et anodynam, quam ei attribuit, in istis casibus, in quibus eiusmodi vis utilis est et necessaria, primum solam, dein cum convenienti resina vel balsamo adhibendam conducere arbitratur et phthificis usum candelarum cerearum accensarum loco sebacearum suadet. Nec desunt alii, qui vires cerae flavae, inprimis istius, quae dicitur propolis, magnis extollunt laudibus, et vapores cerae, praesertim propolis, eandem vim et efficaciam possidere, quam balsama. Cum phthisis oritur a materia acri pulmones infestante, sive ex massa humorum circulantium, in quibus haesit, sive ex exanthematibus retropulsis aut vlceribus nimis cito exsiccatis et consolidatis sit ad eos delata, usum



vsüm simul vesicatoriorum, fonticulorum fetaceorum et corticis mezerei externum commendat.

§. XIX.

Ne ignorantiae rerum in medicina gestarum accuser, silentio praeterire non possum phthiseos curationes in bovili institutas, quas Celeberrimus READ in tractatu, qui titulum gerit: Essai sur les effets salutaires du sejour des etables dans la phthisie par Monsieur Read, Docteur de la Faculté de Montpellier, ci-devant Medecin des Armees, à Paris 1767. 8. descripsit quarumque utilitatem variis argumentis demonstrare annifus est. Aerem bovis omnibus antiphthificis, balsamicis, vaporibus medicatis idque genus aliis remediis antefert, quia ut lene balneum vaporis agit neque ita irritat ac calefacit, vti memorata remedia. Tempus huic curationi commodissimum autumnale hiemale et veris principium judicat. Tribus vel sex vaccis in spatiofo stabulo contentis pabulum salubre et ex herbis aromaticis constans et potum ex aqua pura et salubri praebere, omni trihorio stabulum expurgare et aegri lectum a fundo stabuli aliquot pedes remotum esse jubet, gradum caloris in stabulo, ope thermometri, quod inter decimum quartum et decimum sextum gradum stare debet, determinat atque initium curationis facit laxante. Reliqua qui scire cupit,

pit, legat scriptum paulo ante citatum. Caeterum quamvis haec phthifin in stabulis curandi ratio multis magnisque laudibus sublata et commendata fuerit, nihilominus tamen nullos vel saltim paucos nata est imitatores.

§. XX.

Celeberrimus LIND in scripto, cui titulus: Two Papers on Feuers and Infection, quod in ista tractationum collectione, quae inscribitur: *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte Band II. Stück III.* in linguam germanicam versum continetur, p. 160 ibidem, summam, existimat, munditiem et aerem libere accedentem et permeantem ad contagium abarcendum et abigendum admodum necessariam esse, sed minime semper sufficere, contra ignem et fumum ex accenso tabaco vel sulphure raro aut nunquam in extinguendo aut abigendo contagio, locis et domiciliis eo infectis ab eo liberandis inefficacia fuisse experientia teste. In conclavi, vbi aegri morbo contagioso laborantes sunt, ignem camini lignis sustentatum maximam praestare vtilitatem, fumum ligni accensi et post hunc fumum pulveris pyrii accensi, dein corticis cascarillae accensi, qui odorem spargit valde gratum, et, qui longe praestat, vaporem aceti vini,



quocum camphora mixta, calefacti optimum esse remedium vim contagii infringendi et abarcendi, aeremque infectum corrigendi et purgandi experientia edoctus affirmat atque multos non contemnendae auctoritatis medicos habet consentientes. Neque ad vestimenta, merces, instrumenta, lectos, culcitrae, suppellectilia, quibus contagium inest, ab eo purganda sufficere, ut aeri libero exponantur, quia vestimenta contagio varioloso infecta, quae aer bene perflavit, ad locum satis distitum delata cum hoc contagium variolosum communicaverunt et variolas induxerunt, sed necesse esse, ut omnes istae res probe suffimigentur, arbitratur. Pulvis pyrius accensus longeque magis tormentorum eo repletorum explosio vehementer commovendo atque exagitando aerem eumque alicubi stagnantem vel haerentem propellendo et acidis partibus igne liberatis corrigendo ad pestem morbosque contagiosos tam praecavendos quam curandos et contagium tam propellendum quam infringendum commendatur. Eadem efficere conati sunt ignibus succensis magnis ex lignis et materiis resinosis et acidum copiose exhalantibus, alii vero eiusmodi magnos ignes excitatos in morbis contagiosis minus salubres declarant, persuasi, his aeri inhaerens principium istud, quod pabulum vitae animalis ipsiusque ignis est, destrui.

